





VIII

NAN




DIALOGISMI Heroinarum, autore PETRO NANNIO ALECMARIANO, LOVANII IN COLLEgio Trilingui Latinas literas profitẽte.

Libellus nunc primùm & natus & editus, lectúque dignissimus.







PARISIIS.

Apud Christianum Wechelum, sub scuto Basiliensi, in via Iacobæa: & sub Pegaso, in vico Bellouacensi. Anno M. D. XLI.

Dialogiſmorum heroinæ.

Lucretia.
Suſanna.
Iudith.
D. Agnes.
Camma.

Clarissimæ heroinæ MENZIAE MENDOZAE, Marchionissæ Zenentensi, Petrus Nannius S. P. D.



N recentibus nuptijs oportuna sunt epithalamica: vbi nuptię inueterauerint, sero adhibetur istiusmodi officium. Nos quia longissimo oceano, & ingenti terrarum spacio disiungimur, nihil maturè cognoscimus: & vbi cognitũ est, scriptis nostris tempestiuè occurrere non possumus. Pro epithalamico igitur carmine, à quo tempore exclusi sumus, hunc libellũ dialogismorum ad te transmisimus, vbi tu heroinas tibi simillimas cõtemplari potes. Elegimus enim castissima ingenia, vt eos in alijs affectus cognosceres, quos intùs in tuo pectore semper fouisti. Indimus libro titulum Dialogismorum, quia singulæ personæ secum loquuntur. Amauimus hîc & varietatem, & paucitatem, vt vtroque modo lectoris tædio consuleremus. Nunc igitur audi quid in singulis personis secuti simus. Lucretiã finximus Romana indole generosam, cui adiunximus summam pudicitiam, sed ambitiosam: eámque non minùs auidam bonę famę, quàm castitatis tuendæ, interritam aduersus mortem, vltionis cupidine mirè ardentẽ. Multas huic addidimus sententias, animíque solertiam in cogitãdis suis fortunis per omnes circunstantias rerum discurrentis. Huic religione & genere diuersam Susannam opposuimus, quã san-

ctiore pudicitia instruxi,vt quæ maluerit impudica haberi, & publico supplicio perire, quàm ob famam conseruandam ad flagitium descēdere. Habet ex religione etiam inter extrema pericula spem aliquam in DEO. Verba huius Hebræorũ scripta redolet,vt Hebræam eam esse intelligas. Tertio loco Iudith constituimus,& ipsam quoque eiusdem generis puellam, sed à Susannæ moribus nonnihil discrepantem. Callidũ enim illi pectus & insidiosum, animus ad audendum prõptus, dextra nequaquàm ignaua: Susanna contrà simplex,rerum imperita,& ad sese explicandam,fermè nullius consilij. Hæc in pericula castitatis fortuitò incidit, Iudith se vltrò præcipitauit:præter curas domesticas nihil videtur in pectus Susannæ descendisse,Iudith cõtrà totius gentis salutem sua sollicitudine circũplexa est:nec solummodò matronales,sed etiam politicos mores habet: quamobrem illi attribuimus phrasim aliquantò cæteris altiorem, et nõnihil tragicè ampullantem. Quarto loco collocauimus D. Agnetem,cuius pudicitia maioribus periculis tẽtata fuit,quàm vllæ aliæ superiorum: Huius puellarem indolem,& vixdum duodecimo anno instructã, nullo modo pro ętate illa depingere potuimus. Virgũcula.n. illa,nõ solũ annos suos,sed sexũ quoq; transgressa,plusq̃ virile pectus, plusq̃ senilẽ mentẽ ostendit. Hanc igitur relicta ætate & sexu verbis suarum virtutum adornaui. Non optat vitam, vt Susanna:nec metu infamiæ turpia admittit, vt Lucretia: nec pericula quærit,vt Iudith:sed mori cupit,& esse cũ Christo. Fortem,inuictum,imperterritum animum,et in ipsa indignitate rerum & cruciatu pœnarũ exhibet. Ardent illius verba,vt eam sentias igne Spiritus sancti accẽsam. Multa illi mẽtio de suo erga spõsum Christum amore, vt ætatis illius pronitatem erga amores nõnihil indicaremus. Vltimum locum obsidet Camma,matrona Gallici generis,&sacerdos Dianæ. Huius historiam quia obscurior erat, ex Plutarcho interpretati sumus. Hanc induximus dissimulatricem offensi animi, pertinacis simultatis, & longùm iras suas recondentis, miri

amoris erga maritum, auidam vindictæ, & in ipsa morte ob vltionem sumptam & exultantem & hosti insultantem, ferocem ingenio, callidam tamen, vt certò scias eam Gallogræcam esse. Cuius mores in hoc consentiunt cum Iudith, quòd ambæ præter maritales amores nullos norunt, ambæ perpetuæ viduitatis studium habent, ambæ in vltionibus bene cõsilia sua explicant. In hoc rursus dissentiunt, quòd Iudith extincto marito superesse voluit, Camma statim mori optauit, nec nisi in spem vltionis vitam ad aliquot annos admisit. Tecti vtrobique animi, periculorum contemptores.
Quid sectati sumus indicaui, quid adepti sumus, tu inter alios doctos cum marito tuo Duce Calabriæ doctissimo viro facilè dijudicabis: quorum si eruditioni satisfacere nequeam, ad humanitatem vestram appellabo, vndè me facilè sperauero veniam consecuturum. Si enim vestris istis diuinis mentibus, & fœcundissima eruditione digna cupitis, nõ ab hominibus ea, sed à Musis petenda sunt. Diuina enim diuinis competunt: nec à mortali animo postulandum, quod in heroës & heroinas congruat. Rectè enim à Theocrito cantatum est,

μῶσαι μὲν θεαὶ ἐντὶ, θεοὺς θεαὶ ἀείδοντι.

Vale decus nostri sæculi, virúmque tuum tecum diu sospitem videas. Louanij pridie Calendas Maias. Anno 41.

LVCRETIAE DIALOGISMVS.


Vdicitia, quæ ſola Lucrẻtiam faciebat, periit: quid enim ſine pudicitia Lucretia? amiſſo igitur pudore, ſola ſupereſt mœcha, plena probri, atque alieni mariti libidine. Pereat hæc quoque, cùm Lucretia perierit, cùm perierit pudor. Cur nũc amarem vitam, accepta hac indignitate? cùm ante hoc ſcelus illam vilem habuerim: cùm enim adulter mortem minaretur, obtuli iugulũ, obtuli pectus, nullam partem corporis vulneribus ſubtraxi, vt inferret mortem, quamcunq; liberet. Priùs igitur tam prompta ad mortem, ne hoc dedecus paterer: nũc cùm id paſſa ſim, cunctantior & hęſitantior ad mortem ibo? Sola mors poteſt meos dolores finire, ſola ab infamia ſceleris purgare. Si vitam retineo, obluctatio illa, & pertinax pugna cùm adultero, ſimulantis videbitur, non recuſantis: audio enim mœcharum artem eſſe, tergiuerſando virorum libidinem incendere: putabórque eò magis me inuitam finxiſſe, quò maiores pollicitationes ab

ab amante extunderem. Promisit ille ingentia munera, regnum Romanum, regnum Gabinum inter pollicitationes allegauit, suósque se amores, ne infamiam mihi conciliarét, regalis matrimonii titulo cohonestaturum. Si viuo, hæc promissa videbor expectare, me miseram, mori quidem certum est: sed vtinam priùs mori licuisset, nunc in morte excusationem tantummodò inuenire possum, pudicitiam amissam reperire non possum. Cur non scelerati Tyranni eodem modo in omnes sæuitis? ferrum habetis aduersus viros, cur nõ idem stringitis aduersus fœminas? nũc cędes in viros, stupra in matronas infertis: mea tamen fortuna hac in parte cũ viris coæquabitur, iacebo mactata, si non ipsorum, saltem mea manu, imputabitúrq; illi cędes, nõ qui eam peregit, sed qui causam dedit. Qui enim pudicitiam eripuit, vitam eripuit. Viuant cui flagitia dulcia sunt, retineant vitam, vt redeant ad stuprum: ego si præsciuissem hoc dedecus instare, ante damna pudicitiæ, vitam in posterum probrosam futurá, maturê abiecissem. Quę igitur peritura fui ante iacturam castitatis, amissa castitate flagitiosam vitam retinebo? in qua nihil dehinc honestum,

nestum, nihil dulce sperare possum. Omnia decora, omnia ornamenta matronalis dignitatis in sola pudicitia cōstituta sunt, voluptas sola in conscientia seruatæ coniugalis fidei. Nūc si liberi mihi futuri sunt, aut adulterini erunt, aut certè ex adultera matre nascentur. Scilicet in vita perseuerabo? vt Tarquinio mater fiam, vt hostiles filios in meo sinu educem, vt in eodem partu & raptoris vim, & amissam pudicitiam, & perfidiam cōtaminati maritalis tori, quasi in perpetuo, & præsenti semper monumento & videam & agnoscam? Quin ob hoc ipsum morere, vt in tua nece Tarquinios occidas, ne liberos quos matrimonio debuisti, adulterio reddas. Occidit Medea iniuriosi mariti liberos, tu non mariti sed adulteri occides. Grauida nec ne sum, nihil dū scio: hoc scio, vt nullas voluptates concipiendi experta sum, ita nullos dolores parturiendi expectabo. Nec quæ grauidarum preces sunt, Lucinam inuocabo, sed quod morientium, inferna numina, Proserpinam, Libitinam, Plutonem meis votis solicitabo, vt innocentem animam liberā à corpore, quod solum peccauit, sociam & comitem adiungant castißimis vmbris, à quorum mori-

bus necessitate tantùm abfuit, non studio aut proposito. Me miserá, satiabo me querelis, circunferam meam expostulationem per omnia. Cur me natura tam formosam finxisti? cur illecebrosam istam pulchritudinem, & sollicitatricem adulterorum meis membris adiunxisti? cur animum dedisti pudicum, speciem corporis dedisti, quę pudicitiæ obstaret? Munire debueras turpitudine corporis castum animũ, quem alioqui scieras pudicitiam sanctè tueri nõ posse. Cur tu quoq; Fortuna me in eas nuptias coniecisti, quæ affinitatem cum Tarquiniis haberent? Si vili, si plebeio nupta fuissem, latuissem in sordibus, et obsoleta paupertate & miseriis inopię, formæ dignitatem hebetassem.
Cur tu quoq; scelerata nox, vel somnum meis ancillis, vel eam negligentiam iniecisti, vt cubiculi fores non omnibus seris & repagulis occluserint? O meam quoque nimis securá simplicitatem, quæ nihil tale suspicata sum, nec pestiferum quippiam timui, quæ pestem intus & in penetralibus habebam. Nec de te Collatine tacere possum. Cur laudasti coniugis pudicitiam? cur thesauros tuos furi ostendisti? quò pulchrior flos, eò magis carpentis manum inuitat.
In

In abdito habenda sunt omnia magnifica, nisi prædatorem pati velis. Cur illum in ædes adduxisti? Hospitia non carere periculo, ex Menelai iniuriis: & cognationis necessitatem nihil valere, ex ipsis Tarquiniis iam olim cognoscere potuisti. Scilicet, qui tot ex suis crudeliter mactarunt, nefarium putarent, cognati vxoré flagitio commaculare: nihil illis fas est, qui ex parricidis, ex incestis nati sunt. Tarquinii vxorem si quęras cuius fuit, fratris fuit, per fraternam necem ad suas nuptias viam fecerunt, nec grauius parricidium, nec scelestior venus reperiri potest: istorum animis vllum crimen horribile putas? Sed quid te incuso dulcissime marite? nimiùm magnas pœnas erroris dabis, si modò errasti. Amisisti vxoré, quá nec pudicá ampliùs, nec viuam habebis. Quid enim sum aliud q̃ adultera? certè adulterata sum, ꝓbrosa sum, si non meo, tamen alieno flagitio: non culpas excutio, sed facta expédo, Aequè cótaminata est, cui aliena manu aspersæ sunt sordes, ac illi, cui sua: æquè mortua est quam vis aliena extinxit, ac illa est, quæ sibi mortem cósciuit. Ibo igitur ad maritum, ibo ad patrem? apud illos eas pœnas de me dabo, quæ adulterę

debentur. Illorum erat de adultera ſupplicium ſumere: ſed noui eorum animos, coactum facinus pro culpa non imputabunt: nec ſuſtinebũt corpus mulctare, cui ex adulterio, non voluptas, ſed dolor quæſitus eſt: ergo cùm deſtituar mortis miniſteriis, mea manu fortiter aduerſus innocentem me, ſed tamẽ contaminatam vtar. Hoc diſsimilis ſũ à reliquis adulteris: illę obnixè reticent commiſſum piaculum, ego meam ipſius infamiam prodam: illæ nullius ęquê cõſcientiam ac parentis & mariti reformidant, ego in iſtorum ſinus, querelas de amiſſa pudicitia libentiſsimè effundam: illæ cupiunt vitã, vt iterum peccent, ego cupio mortem, quia ſemel peccaui: illæ odêre maritum vt carnificem, amant adulterum vt tori conſortem, ego adulterum non minùs libenter trucidarẽ, quàm meipſam trucidabo: pro marito autem vt Alceſtis illa, non ſemel cuperem mortem oppetere: illæ cum voluptate meditantur ſua flagitia, experiuntur cum voluptate, recogitãt cum voluptate, mihi ſcelerata iſta Venus nec in ſenſibus, nec in cogitationibus dulcedinẽ vllã, ſed intolerabilem luctum, funeſtiſsimos mœrores, acerbiſsimam ęgritudinem infudit. Illę pal-
lent

lent deprehensæ,quia in timore sunt,ne moriantur,mihi mortis pallor genas infecit,quia cu pio quàm primùm ingratissimam lucem abrũpere, tædet cœli conuexa tueri. Sed obsecrandus est maritus,obtestandus est pater,vt manes meos vltione prosequãtur, cuius cùm promissis suis mihi fidẽ fecerint, cum sensu quodam voluptatis ex futura vindicta cõceptæ ad mortem alacris properabo. Sed valedicam priùs meis penatibus, valedicam toro, cui iam nõ licebit oscula suprema infigere,quia horreo scelus inibi admissum: dirum mihi videtur quicquid loci vicinitate cum tetro illo facinore cõiungitur. O miser tore, quem anteà tam casto amore foui, vbi nulla mihi vnquàm cogitatio de alieno viro fuit. Eheu tam pertinax cura pudicitiæ quid premii consequuta est? Iam de expugnata castitate immanissimus Tyrãnus triumphabit,quicquid tot anni honestatis,dignitatis ex integritate famæ mihi comparauere,id totum simul nox vna amisit: violatum coniugium, incestatum adulterio maritale cubiculum,corpus stupro oppletum,solus animus integer remansit,si modò integer est,qui ob infamiam peccati,peccatum admisit:certè adul-

tera facta sum, ne adultera existimarer. Prędo ille plus habere non potuit, quàm consequutus est, ego plus amittere non potui, quàm amisi: ille summæ pudicitiæ insidiatus est, ego summá pudicitiam amisi: ille tantum adeptus est, quantum in votis fuit, ego tantum perdidi, quantum abominabar: nó est quo vlterius procedat vel illius cupido, vel meus timor. Cur illa laus pudicitiæ sub instantem iacturam nobis à fortuna assignata est? cur pudicissima in certamine virorum deprehésa sum, quæ paulò post pudicitiam perditura eram? Commonstrabilem in me Fortuna vtrunque casum fecit, ostentationi fuit pudicitia & virorum nocturnis superuétibus explorata, vt paulò pôst amissa, maiori ludibrio & dedecori esset. *Sic* ægrotus sub imminentem mortem rectiùs se valere existimat, sic defectura candela, eo ipso momento, quo lumen eius periturum est, clarius emicat. *Si* non tam casta deprehensa fuissem, minùs ad libidinem placuissem, virtus mea iritamentum alieni sceleris fuit. Viderat vxorem suam in vino, me in lanificio: illam inter æquales luxui indulgere, me inter ancillas operas vrgere. Noluit plus esse boni in domo Collatini, quàm in

dom

domo Tarquinii: méque suæ vxori flagitiis, si non vltroneis, saltem coactis, persimilem esse voluit. Agè iam Collatine iacta Lucretię tuæ pudicitiam, quam aliena libido suam prædam fecit: iacta corpus vxoris impollutũ, quod Tarquinii iniuriis cõspurcatum est. Imò quanto ludibrio tuas de me gloriationes irridebit, ægrè ac prorumpentibus cachinnis arcanum suæ libidinis continebit. Etiã inter metus legum solent viri de stupris matronarum gloriari: ísne igitur silebit, qui potestate Regia legibus solutus est, & tyrannidis vi quicquid sanctum est, proculcat, qui de scelere gaudet, & cuius gaudium à legibus securum est, suos triumphos tacitos habebit? quod in aliis viris lusus est inter pocula, id nefarium sibi in regni licentia existimabit? Veniat modò in colloquium vel patris vel mariti, iam ipsa insultatione & insolentia suum scelus vltrò proferet. Citius Lucretius, citius Collatinus calamitates domus nostræ ex adulteri risu cognoscent, quàm ex meis lachrymis rescíscere poterunt. Malè celantur scelera etiam inter supplicia legum: hic qui non minùs leges negligit, quàm ab earum pœna securus est, tacitam continebit suam voluptatẽ? oc-

cultare

cultare poterit id in ipſius poſseſsionem veniſ-ſe, ad quod nemini vnquàm aditus dabatur. Vel ſolus riſus ad verba de mea pudicitia facta, rem manifeſtam dabit. Si iactabit maritus, me ſolam inter regias nurus in ſtudio & ſignis caſtitatis deprehenſam, ille contrà animo ſuo reuoluet, ſe me in lecto nudam oppreſſiſſe: quo vultu ibi tum reſpiciet infeliciſsimum maritũ, quibus oculis me ad iterationem libidinis denotabit, quam facilitatem ſibi promittet in repetendo ſcelere? nõ enim timebit in expugnatis nouam pugnam, non putabit ſe ampliùs ad Lucretiam, ſed ad mœcham accedere. Sed eſto taceat, ſilentio latebras ſuis criminibus quęrat, redibit ſæpius ad renouandum ſtuprum: ſi nolim, oſtendentur minæ prodendi adulterii, & indicii metu ad nouum ſcelus iter parabit. Qui me miſerã adulterii accuſare volebat, ideò, quia adultera nolebam fieri, illéne à poſſeſsione depulſus, ab vſu reiectus, mœcham verebitur infamare? Sed quid ego hæc diſputo? metuãt indicia, quibus vita in voto eſt, mihi nihil eſt timori, niſi me priùs ab alio, quàm à me meam iniuriam cognoſcat maritus. Sed finge me ex aliarum ingenio moratam eſſe, vt quod ſemel

per

per vim passa sim, posteà metu indicii admittam, quid futurum est de marito? ille aut statim occidetur, quò nuptias mœchus ex adulterio conficiat, aut leno cogetur fieri suæ vxoris, rapiendus ad necem quandocunque properanti libidini se minùs obsequentem præbuerit. Ergo Lucretia si moriendi animum non haberes, ex istis eum causis assumere deberes. Viues scilicet, vt quandocunque libuerit, ad stuprum rapiaris, vt maritum vel lenocinantem, vel occisum aspicias, vt patrem quotidianis probris famosum reddas, vt Romam dedecore oppleas, sæculum istud pessimis exemplis contamines. Quin armas dexteram, quin hauris vitalia, & ad ipsum cor mucronem adigis? Magnæ laudis erit, te vltrò ad cófessioné delicti cucurrisse, pœnam, quam pater, maritus, tibi remiserint, à te exegisse: & cum adultero regnare poteras, in odium adulteri mori voluisse. Hoc placet, hoc exequar, nunc simul ad patrem, & maritum, & ad mortem properabo: tu charissime pugio, quem nunc in vestibus occulto, ne te anteà prodas, quàm cædem nostri perpetraueris. Valete Penates charissimi, valete Lares, vale familia, vale tu quo-

que nouissima lux. Lucretiam iam non amplius viuam, sed suis vulneribus mactatam, & cruentatam aspicietis.

DIALOGISMVS SVSANNAE.


O Funestam lauationem, & causis mortis instructam: sic lauatur cadauer, quod vespillones libitinarii sepulchro apparant: ego mihi in illo fonte nescia omnium polintrix fui, preueni officiis funebribus meam ipsius mortem. Nunc adeundum sepulchrum, non quod ex rupe aliqua excisum corpus simul & memoriã defuncti tueatur, sed quod lapidantium manus iniectu saxorum coaccumulauerint. Non enim me parentum manus in tumulo cõponent, sed publico supplicio pœna adobruet. Nõ inter meos iacebo, nec cum cognatis corporibus eidem conditorio incubabo, sed inter feralia noxiorũ hominum ossa sedem habebo: eósque in posterum vicinos & accolas expectabo, quos scele-

ra per condemnationem in hunc locum aduexerint. Nihil eſt quod expectem aut menſtruas exequias, aut parentationes annuas, nemo iuſtis, nemo funebribus officiis colet, vt cuius memoriam cum vita extinctam ipſi etiam parentes cupiant. Periit Iepte filia, ſed vt victima domini Sabaoth: periit Rachel, ſed ex partu: alteram quodammodò voluntas Domini, alteram naturæ infirmitas extinxit: luctus quidẽ in morte ingens, nullum tamen probrum adfuit. Non de forma doleo, quę mecum extinguitur, illam odi, quia primùm mihi ſollicitatores adulterii, deinde calumniatores attulit: nihil lugeo ætatem iuuenilem, quæ in flore ſucciditur. Hoc lugeo, quòd non citiùs perierim, quòd calumnia me in vita repperit, quòd non ante criminationem è vita ſurrepta ſim. Si ante annos aliquot fato perfuncta fuiſſem, doleret maritus, ſed vt de vxore: luctuoſi eſſent parentes, ſed vt de filia: mœſti cognati, ſed vt de conſanguinea. Nunc maritus memoriam mei vt adulterę execratione, parentes irâ, reliqui odio perſequentur. Omnia quæ erant ornamẽta fortunæ, quaſi vinum toxico imbutum, mutata natura ſua in ſummum dedecus abiere. Claritas natalium,

conſpectius noſtrum probrum, dignitas mariti notabiliorem noſtram infamiam, formæ venuſtas credibiliorem criminationem facit: famæ honeſtas, qua hactenùs florui, admiratione inſolitæ culpæ, euocat omnes potiùs ad ſpectaculum, quàm vllam defenſionem meæ cauſæ addit. Quid turpius, quàm fœminam primariam, totius gentis principem, ſummo viro Ioachim nuptam, ſororem Helchiæ, cui Dominus dedit clauem domus Dauid, de ſtupro cõuinci, eámque non puram videri ab alienis viris? cùm tres pueri, Sydrach, Myſac, Abdenago, cum periculo capitis, cum certa expectatione ardentis fornacis, in quem coniiciendi erát, à cibis impuris & communibus abſtinuerint. Innocens ſum, quid tum? nemo pręter Deum innocentiam meam ſentire poteſt: auidi populares mei ad meam pœnam inhiant, cupit quiſque in me vlciſci, quòd totam gentem infamia oppleuerim: nec iam adulterium periculoſum maritis, ſed toti genti pernicioſum putant. Habitát ad flumina Babylonis, inter exteras nationes, atque adeò inter hoſtes ſuos, ſola honeſtate famæ tuti ſunt, per ſolam integritatem nominis & à Rege conceſsionem, & à Deo poteſtatem

tem redeundi in patrias ſedes ſperant, quam ab Hieremia promiſſam, certam iam ſibi & indubitatam credunt, niſi adulterio aliiſque criminibus id ipſum impediatur. Quid ergo mirũ, ſi ſæuiunt irâ in eam, quam putant, & pudicitiam coniugalem, & ſpes ſuas repetendæ patriç debilitaſſe? Hinc arbitror eſſe, quòd plæriſque ſceleribus vnus tãtummodò adhibetur carnifex, qui ſupplicium inferat, in adulterio omnes munia carnificis obeant, nemo non lapides iacit, vt violatæ pudicitiæ omnes vindices appareant. O miſeram innocentiam, quç teſte caret, nunquàm cogitationes meæ alieni viri concupiſcentiam admiſerunt, in timore domini educata ſum, procul à vanitate mundi habita ſum: & quòd marito nupſi, potiùs parentum obſequiis, quàm meis votis indulſi: tamen iá miſera de adulterio conuincor, nec inuenio vllá efficacem excuſationem. Quæ ſæpius peccauit, cauſas ſuas ſepiùs meditata eſt, & præparatam habet excuſationem: ego quæ nunquàm peccaui, nunquàm operam dedi ad purgationes cõminiſcendas, tam rudis miſera ſum ad defendendum, quàm ad ſcelus patrandum fui. Sed finge me peritá exercitatámque in cauſis agen

dis,quid quęſo pro me in defenſionem adferã? ſola deprehẽſa ſum, in loco arborũ vmbris opaco: ancillas ablegaui, quaſi arbitras vererer, ne ſecretum meum turbarẽt: corpus magna ex parte renudaui, id quidẽ lauãdi cauſſa, ſed quę fruſtrà allegatur, cum fidem non inueniat. *Si* dico ancillas me ad ſmigmata ablegaſſe, reclamabitur ſtatim, cur non vnam aut alteram, ſed omnes ad tantillum negocii amandauerim. Contra me eſt illecebroſitas formæ, facilè in pulchris calumnia ſtupri hæret: quod multi cupiunt, multi ambiunt, vnus aliquando impetraſſe videtur: ſola ſuperiore fama alienior à crimine eſſe videor, ſed illa pręſenti calumnia extinguitur: quę aliquãdò probatur peccaſſe, non anteà caſta, ſed cauta fuiſſe creditur, omnéque ſuperius vitæ tempus ab extrema hora æſtimationem accipit. Vitaui publicum, vitaui excurſus, domi miſera in latrones, qui foris timendi videbantur, incidi: qui quia pudicitiam non potuere, vitam meam iugulare cupiunt: ac ideò acriùs ad ſupplicium meum incũbunt, quòd in eo ſimul & vltionem repulſæ, & tutelam ſuæ ſalutis repoſitam eſſe exiſtimant. Quid enim aliud dicam, quàm quod verum

eſt,

eſt,illos dum nego mei copiam,ex amatoribus in accuſatores eſſe verſos. Quis credet cano capite viros in libidinem exarſiſſe? quis credet binos idẽ eodem tẽpore appetiuiſſe? nec alterũ alterius conſcientiã vitauiſſe,& ſocium voluiſſe noui & nondum delibati amoris, cùm vulgò iactent raram eſſe illam patientiam in veteri amatore,vt riualem ferat. Agè,vt hoc credibile videatur, eos ad ſtuprum ſocietatem iniuiſſe, quis non putaret, illos in ea conuentione tẽpora diuiſuros fuiſſe. Vix vlla proſtituta duos ſimul admitteret,quid faciet caſta, cuius pudori nunquàm vlla nox ſatis tenebroſa, nulla ſolitudo ſatis deſerta videatur : quæ ſi quandò corrumpitur,non pręceps it in libidinem, ſed longo tempore per gradus paulatim ad impudicitiam deſcendit,ac dediſcit potiùs verecundiam,quàm abiicit. Quid veri ergo videbor allegare, ſi dixero eos ambos ſimul concubitũ meum expetiuiſſe? Præterea homines ſunt venerandæ famæ,quos ob ſpeciem ſanctitatis vulgus in Iudices elegit, qui in ferendis ſententiis alienis auribus credunt:nunc in hac cauſſa videbuntur ſuis oculis et ſenſibus credere. Quid igitur adferam ad mei purgationem? quicquid dixe-

dixero,incredibile videbitur:& vt habeam euidentisſimas excuſationes, animus exhorreſcit de talibus rebus quicquàm loqui: pudor mihi inuitæ ſilentium imponit,nō poſſum verba facere,de diluendo ſtupro,cū mens vel ipſas cogitationes reformidet, certè non niſi egerrimè iſta mecum diſputo. Reſpiciam igitur ad parétes? inuocabo eorum præſidium? ſed illi pudore à me alienantur, ſtant taciti mecum, & de cauſſa mea deſperant. Fundunt lachrymas,gemitus, ſuſpiria,vt quam ſe diffidunt rationibus purgare poſſe,lachrymis diluant. Quò me miſeram conferam? implorabo iudicum æquitatem? at hi teſtes ſunt contra me. Aduoluam me genibus mariti? apprehendam brachiis illius genua? at ille retrudet brachia mea,quæ ſuis iniuriis polluta exiſtimat: ſperem illum deprecatorem? cui potiſsimùm leges vltionem & paràt & ſuppeditant: lenem illum mihi putem futurum? cui lenitas lenocinii crimen affricare poteſt. Auxilium miſera à populo poſtulabo? at in horum animis prædamnata ſum. Circundederunt me gemitus mortis, dolores inferni circundederunt, vndique mihi anguſtiæ,intétant omnia mortem:quò caſta,ſed crimine falſo

ſo plena lumina conuertam? pudor claudit oculos, & ante mortis tenebras ſua caligine inuoluit. Neminẽ auſim reſpicere, neminẽ intueri, idẽ mihi pudor de crimine credito, qui aliis de facto & perpetrato eſt. Sed me miſeram, renudant frontem, amouent calyptram, oſtendũt vultus meos populo. Hei mihi, parcite pudori, ſi vitæ non poteſtis. Hoc ſolum vnicê in morte amo, quòd illa tenebras habet, quòd caliginẽ habet, in quibus lucifugus pudor opacas latebras inuenire poteſt: ſinite quæſo ſine vexatione verecundiæ ad mortẽ properem. Verùm quid ille tumultus, quid illa fluctuantis multitudinis diſcurſatio? condunt lapides in ſinum, corbes ſaxis ruderibúſque plenos efferũt. Iã ſentio, iudiciũ pactum eſt, capitalis ſentẽtia de me lata eſt, rapior, trahor ad deſtinatum ſuppliciũ, tantúmque iam diſto à crudeliſsima morte, quãtum interſtitii eſt à tribunalibus ad locum carnificinæ. O miſeram innocentiam, ô fruſtra caſtos mores, ô infeliciter pudicum pectus, quàm nihil in præſentia, fortunâ, præmióque à flagitioſiſsimis mœchis differo. Valete parentes dulciſsimi, vale cõiunx chariſsime, valete cognati, valete neceſſarii, quos in luctu ex morte, in

probro ex calumnia relinquo. Nunc tu omnipotens deus Sabaoth, apud quem ſolum innoxia habeor, qui corda noſti, quem nihil ex arcanis latere poteſt, tu ſcis cauſſam meam nō aliam eſſe, quàm caſtiſsimi Ioſephi: vtrumque fuga adulterii, criminibus adulterii implicuit: vtrique aliorum conatus pro factis obiiciuntur: hoc diſcriminis eſt, quòd ille ad carcerem, ego ad mortem rapior: ille ab alienigenis, ego à popularibus damnor: illum externi, me mei pœnis afficiunt: in illius malis non aderant parētum, cognatorúmque oculi, quos calamitate & pudore uppleret, meum ſupplicium vniuerſum Iſraheliticum genus intuetur: in illius ſupplicio ob dilatam mortem ſpes aliqua melioris fortunæ affulgebat, mihi ob præſentem lapidationem nihil fiduciæ in poſterum relinquitur. Non tamen abbreuiata eſt manus tua, nec vllis miniſteriis rerum eges, nec in agendo moras & ſpacia temporum deſideras, omnibus temporibus, omnibus in rebus æquè omnipotens es. Ionam in aluo ceti, quaſi in thalamo tutiſsimo ſeruaſti: immiſſus per dentes immaniſsimæ beluæ, remiſſus iterum in lucem, nullas corporis offenſas ſenſit: quem nauis ſeruare nō

potu-

potuit à ſubuerſione, eum piſcis pér profunda maris diſcurſans à mari liberauit: cui datus erat in pabulum, inde habuit vectabulum: reductus eſt ad littora, marinæ beluæ gremio, non velorum ſinibus: pinnarum impulſione, nõ remorum adactione. Mitte mihi quæſo nunc eodem modo auxilium de ſancto. Si voluiſſem peccare, peccati non arguerer. Sed cùm alterutra pericula circunſtarent, vt cogerer vel te, vel homines iratos habere, malui incidere in hominum, quàm in tuas manus: illę enim nõ plus poſſunt, quàm tu voles, tu quicquid volueris, potes: doce in mea ſalute, ſemper caſtam innocentiam tutiorem, quàm ſceleſtam conſcientiam eſſe: omni humano auxilio deſtituta ſum, ſed propter te: te enim ſi poſthabuiſſem humanæ voluntati, iam omnes homines mihi propitios haberem: ſed dilexi mandata tua, nõ ſuper aurum & topaſium, ſed ſuper vitam & ſalutem meam. Tu igitur Deus patrum noſtrorũ, qui dediſti Iſraheliticis vadum in trãſitu maris, ſiccitatem in tranſgreſſu Iordanis, qui tribus pueris Sydrac, Myſac, & Abdenago, in fornace ardenti flammam ignis, in roſcidas venti exhalationes mutaſti, qui Danielem inter famelica

ora leonum intactum seruasti: nunc tuæ ancillæ, quæ mẽtem cum brachiis vt te adoret, extendere nõ potest (brachia enim miseræ in tergum reuincta sunt) dexteram porrige auxiliatricem. Soles tu tuorum animos probare, nõ extinguere: Abraham vsque ad euaginationẽ gladii ad mactandũ filium protraxisti, ad summum peruentum erat, vlterius eum non siuisti pergere, sufficit tibi exploratio animi per omnia obedientis. Ad collimitium mortis progressa sum, vlterius nisi peream, tendere non possum. Accusata sum, condemnata sum, ad carnificinam protracta sum. Flãma calumniæ me inuoluit, cœtus condemnationis me deglutiuit, leoninus furor lapidãtis iracundiæ os suum super me aperuit. Extingue ignes falsissimæ criminationis, iube reuomere cœtum quod deuorauit, leonum maxillas exarma, dentes retunde, vt ancilla tua te iugiter laudet in terra viuentium: redde marito vxorem, parentibus filiam, consanguineis cognatam, mihi cum salute integritatem famę. Sed quid video ita omnium suspensa ora? cur istud subitum silentium? cur statur? cur ita aures arrectæ sunt? cur vultus mutati? cur me nunc mœsto & commiseranti

ranti ore, cùm anteà irato intuebantur? aliquis pro me loquitur, an nemo? certè sentio puerilē vocem. Deus de cœlo respexit humilitatem ancillæ suæ, gemitus compeditorum exaudiuit, non frustrà meam fiduciam in illo collocaui.

DIALOGISMVS IVDITH.


Ormit iam vino repletus, nec minùs ebrius amore, quàm vino. Sic infatuat eos dominus, quos perditos cupit, sperat se in me habere & concubinam libidinis, & proditricem gentis Israheliticæ. Nec Silarę meminit à Iahel occisi, ignarus dominum & per virilem, & fœmineam manum salutem populi sui operari solere: nec timet vllius tela, quum tot excubiis satellitum, tot castris militum vndique cingatur: à fœmina nihil audax, à transfuga nihil hostile, à blanda nihil contumax suis votis sperat: non metuit in tenera puella vim truculentiámque Aieth, qui

A Eglon regem sub specie colloquii in cubiculo interfecit. Sed viuit Dominus, qui pectus meum consiliis impleuit, & nunc audacia obarmat. Resecabo colla immanissimi Tyranni, frustrà tantum adiissem periculum amittendæ castitatis, nisi illud quod tâtis discriminibus petiui, cæde nocentissimæ beluæ perfecero. Quid finis illum vel inter dormiendum tuos concubitus somniare? ad spem producendus erat, nō ad fruitionem, ne imaginariæ quidem libidinis. Ornasti te gemma, auro, purpura, vt radiantis formæ lux, oculos libidinosi hominis perstringeret, & captum illecebris pulchritudinis ad perniciem detraheres. Si nō venisti ad amplexus petendos, pete iugulum. Casta nec esse nec haberi potes, nisi tyrannicidio. Si redibis sine illius capite, quid caussæ dices, cur in castra tam vltrò properaris. Quid senioribus, quid dices sacerdotibus, quid Eliachim, quid Oziæ, quid cæteris principibus? qui tibi publicè commeatum dedere, & tuum iter faustis votis, faustis ominibus prosequuti sunt, in tuis consiliis spem salutis Israhelitici populi repositam esse arbitrantes. Quam excusationem habebit nitor faciei restitutus post triennales & semestres

sordes

sordes maritalis luctus? cur armillæ in brachiis repositæ? cur capilli à vertice capitis hinc inde discriminati? cur annuli rursùs digitis inducti? cur inaures rursus auribus appensi? cur viduitatis cultu abiecto purpurata ꝓcessisti? si occideris eum, sancta calliditas est: si peperceris, meretricis fucus est, cultu suo alienos oculos ad libidinem sollicitantis. Vltrò te in ista pericula coniecisti, aliis damna pudicitię necessitate excusant, tu quicquid patieris, vltroneum videbitur. Venisti sponte ad castra hostilia, ducis colloquium vltrò expetiuisti, inuitata ad epulas & consortium lecti, non abnuisti, nec te inuitam, nec te difficilem prębuisti, imò ne simulasti quidem: præcurristi potiùs illius vota, quàm sequuta es. Quò captiuitas adigeret, eò te vltrò præcipitasti: in ditionē hostium sponte venisti, inter hostiles manus atque adeò in ipso tentorio ducis versaris, vel vt captiua, vel vt trãsfuga. Ebrii contumeliosam libidinē expectas? flagitiis tantummodò à flagitio tuta es, ebrietas sola tuã pudicitiam defendit, decoquat vinum, abeat somnus, redeãt vigiliæ, Iudith inter castrēsia scorta numerabitur. Frustra callida est, quæ quod insidiis petiuit, perficere non audet: atque adeò

ipsæ insidiæ in caput insidiantis conuertuntur, nisi audaciâ animi explicatæ fuerint. Quorsũ castra hostium petita sunt, si nihil hostile audeas tentare? cur ipsum ducem adorta es, si ad triumphos parandos, animus deficit? Pugnauit Dauid cum Goliad, inermis præter fundã cũ panoplia instructo, puer cum viro, paruus cum Gigante: omnis illius fiducia in Deo, & in tribus lapidibus, nihil subsidii ex fraude, aperto marte, sine clãculariis artibus omnia gesta sũt. Tu arma ducis in potestate tua habes, cum iacente tibi res est, cum nudo, cum ebrio, cũ dormiente, nec ex ebrietate vires habet ad resistẽdum, nec ex somno sensum sui mali intelligit, nerui resoluti sunt vino, ceruix languida relaxatis tendonibus potiùs humeris illapsa est, q̃ incumbit, oculi marcent somno, vix vulneribus excitari potest. Age rem masculam, supra ætatem, supra sexum, in mediis hostium castris ducis iugulum pete, aliquid maius faciendum est quàm Iahel fecit. Illa principem hostilium exercituum in somno interfecit, sed domi suę, sed profugum, sed victum, sed latentem, & cui victrices copię à tergo ad perniciem imminebãt: tibi res est cum victore omnium gentium, qui vsque

vſque ad terminos AEthiopiæ, omnia circûm circà armis edomuit, cuius conſpectum fortiſsimæ nationes exhorrent, cui montes ſubſidere aduenienti, fluuii traiicienti vada ſubductis vndis præſtare videntur, cui ſe turres inclinant, mœnia veluti ſupplicia ipſius genibus ſeſe ſubmittunt. Hic tibi iugulandus eſt, qui non minùs cum deo, quàm cũ hominibus bella gerit: qui ſolum Nabugodonoſorem deum haberi edictis imperat, armis cogit, qui vbique religiones extinguit, templa demolitur, lucos ſuccidit, illius ſatelles qui Babylone ſedem ſuam in Aquilone ponit, & ſimilem ſe facit altiſsimo deo. Quid times hominem imbellis dei? numinis ſupremi cauſſam agis, non tuam. Hactenus illius ſubſidio protecta, in futurum ſpera eandẽ ſecuritatem, quam hactenùs poſſediſti. Dominus de cœlo pugnabit tecum, ſtellæ in ſua ſtatione prœliabuntur aduerſus ſatellitem idololatriæ. Concluſit eum dominus in manu tua, en iacet ſupino iugulo, in proximo adhæret illius gladius, nihil timendum, nemo tibi adeſt, niſi tua Abra particeps conſilii cõſcia, deſtinata ſocia operis. Hanc iube excubare ad oſtium, tu vno ictu collum abſcinde, ne ſingultantis & an-

 helan-

helantis animæ murmura ſtipatores excitent: in fortibus facinoribus ſola audacia tuta eſt, ſolummodò timor periculum creat: quod ſi non vno ictu illum truncum feceris, inuolue moribundum & cum anima luctans caput conopeo illo ſerico, ne vllus ſtrepitus foris audiatur. Si erret dextera, nõ horrore excutietur è ſomno, quemcunque tactum ſentiet, putabit tuas manus in illius amplexus circunferri. Sis mulier de Thebis, illa Abimelech ſaxo, tu Holophernum gladio occidas. Vindica ſanguinem ſanctorum, qui effuſus eſt. Voluit Iordanem inũdare facere ſanguine innocentium, & ſpeciem maris rubri efficere in campeſtribus Iudæ. Natet ergo homicida in ſuo ſanguine, effundat vinum ebrioſus per reciſam ceruicem, ſed ſanie cruoréque permixtum: diſcat Deum eſſe in Iſrael. Res moras non patitur. Profundiſsimus vbique ſomnus, altiſsimum vndiquaque ſilentium, occupa tempora, quæ cùm nunc tibi faueãt, ipſa cũctatione aduerſa fient, reporta ad tuos & pudicitiam & victoriam Iudith digná. Hactenùs decepiſti eum fraude, ornata veniſti, blanda veniſti, obſequioſa veniſti, cepiſti iamdudum eius mentem, nunc captum occide: niſi

occi-

occideris, non Iudith venisti, sed Dina abieris, ac multò peiore conditione abieris. Illa quicquid passa erat, necessitate passa erat, tu videris vltrò stuprum inuitasse, quæ cùm domi, cùm intra mœnia latere poteras, forâs egressa es, non vt Dina ad amicam gentem, sed ad nationem cruore innocentium ebriam. Ergo vindica famam tuam, vindica populum Dei, zela zelum Domini, sis mater in Israhel, vt Delbora fuit. Gaudeat Manasses maritus tuus, quòd in te superstite, liberatricem gentis Israheliticæ reliquerit. Ne videaris ideò hactenùs triennalē viduitatem elegisse, vt marito extincto non Iudæum, sed gentilem: non cultorem Dei, sed idololatram superduceres: aut ideò abstinuisse à nuptiis Israheliticis, vt cōcubina fieres homicidę excidio multarū gentiū infecti. Nunc igitur Deus Sabaoth, qui per triduum me castam seruasti ab Allophyli libidine, & cuius consilio ista institui, confirma manum meam, ne aut vis dexteræ, aut robur animi deficiat, vt cognoscant gentes omnipotētiam tuam, & quòd non sit deus præter te Domine.

DIALOGISMVS DIVAE AGNETIS.


Vnc mihi placent hoſtes mei, cùm mecum non amoribus,ſed ignibus: non precibus,ſed torturis: non muneribus,ſed carnificinis agunt: fortiùs nunc reſiſto inter incendia, quàm tunc inter blandimenta : quanquam ne tum quidem victa ſum,multa enim citiùs molleſcunt,quàm franguntur. Sic Adamas ictus quantoſlibet aſpernatur,ſanguinis attactu in lentorem reſoluitur:Nec mirum,qui preces reiicit, durus ſibi videtur:qui munera,incommodus & inciuilis apparet. Afferebat Præfecti filius lachrymas amore noſtri expreſſas , preces ardentiſsimas, donaria ampliſsima,non concubinatũ,ſed matrimonium orans,eâmque ſpeciem præ ſe ferebat,quaſi ſine me viuere non poſſet. Aderat in illius precibus voluptas,honor,amplitudo diuitiarum,occinebat illud mihi in aurem: Nec dulces natos Veneris,nec gaudia noris?oſtentabat natalium ſplendorem, progenitorum ſtémata,præturas & cóſulatus,venditabat ſeſe diuitia-

uitiarum thesauris: ipse & forma & cultu ornatus, oculos nostros vultu, spe, metúque anxio sollicitabat, suspiria lachrymis, lachrymas suspiriis pmiscebat: tũ me amico aut certè amáti videbar negare, nec sentire vel nuptiarum magnitudiné, vel proci ardentissimam beneuoléntiam, nunc cùm pœnis sæuiunt, quicquid nego, hostibus nego: nec iam à me petitur connubiũ licitum & honestũ, sed vt sponsum meũ Christum abnegem: facilis igitur mihi recusatio aduersus eos, qui odiis agunt, & nefaria petunt. Egò ne te Christe negare possum? quem ante annos amoris iam diu amaueram: nondum decimum tertium annum ago, & tuo cõnubio iá inueterata sum: Quo tempore aliȩ ætatis meæ puellæ cum puppis lusitabant, ego me contemplatione tuæ pulchritudinis, qui preciosus es forma præ filiis hominum, oblectabar: cùm aliæ ad sinum maternum, vel nutricis amplexũ confugiebant, ego sponsi mei crucem asiduis brachiis constringebam. Fasciculus enim myrrhæ dilectus meus inter vbera mea commoratus est. Aliæ tractant suas cerussas, purpurissas, stibia, quibus facies incrustant, ego nullũ in caput meum tectorium admisi, nisi quòd sanguis

 Christi

Christi colorauit genas meas: dum aliæ nitro, lixiuio membra emũdant, ego sola aqua de latere Christi promicante corpus lauaui: Agnes agnum Dei perpetuo amore prosequuta sum. Illúm ne ego abnegare possum? quasi quippiã me à charitate Christi separare posit: frustrà hic habet gladius suum acumen, frustrà fames suam esuriem, frustrà ignis suas flammas, frustrà mors suum exitium: dilectus meus mihi, & ego illi, duo sumus in carne vna, vnitas non recipit diuisionem: nec Agnes ab agno diuelli potest, cum illo vnior, vt ille cum patre: non potest humana vis interrumpere cœlestem copulam, quod Deus coniunxit, homo nõ separat. Quid ignaui statis carnifices? cur incendiarii torpetis? cur vstulator friges? afferte huc omnes flammas Vesuuii, incendia AEthnæ, prunas Liparæ, vt experimentum capiatis, quantò his omnibus magis in me ardeat amor Christi. Nihil vobis irascor, quia iam pœnis nõ flagitiis sæuitis, istis incendiis nihil nisi holocaustum me Domino efficitis, tanquàm aromata incendor, vt Christi bonus odor fiam, quò cœlitum naribus combusti martyris fragrantia aspergatur. Debuit hæc flamma ex Vestalibus

focis

focis peti,prunæ istæ ab idolo afferri,qua contemptrix idolorum concremaretur. Id saltem ingeniosè commenti sunt, vt viribus eius numinis videar plecti,cuius religionem aspernata sum. Præest Vesta gentilium opinione virginitati,præest ignibus,huic quia virgo sacrificare nolui,contra pudicitiam meam, publicā libidinem conuocauerunt:insonuit tuba,nō ad cædes hostium militares animos accēdens,sed vulgus promiscuum ad puellæ innubilis castitatem expugnandam conuocans,vt priùs publica omnium stupra pateretur, quàm per ætatē venerei pruritus cupidinem sentisceret. Detrahebantur miseræ vestes, non vt flagro admouerer(nam id in votis fuisset, nimirùm digna habita,quę pro Christo contumeliam paterer) sed vt omnium libidinosis affectibus nuda prostarem, & publicis oculis spectaculum essem, quæ ne ipsa quidem me nudam vnquàm aspicere sustinui:tum dolebam,tum anxia,tum semianimis fui, cùm iudices mei aduersus damnatam,non suppliciis,sed flagitiis immanitatē suam ostendebant:tum canebam luctuoso ore illud Salomonis, Inuenerunt me custodes ciuitatis,vulnerauerunt me,tulerunt pallium meū.

Sed

Sed non defuit cœleste auxilium, vbi non præsto fuit humanum præsidium. Capilli capitis mei non solùm numerati sunt à Christo, vt nihil periret, sed ita increuerunt, vt corpus meũ quasi densibus frondibus inumbraret: natura mihi dedit velamen ad subsidium verecũdiæ, cùm vestem, quæ ex artificio erat mea, nuditas amisisset. Adam sensit se nudum ex peccato, ego contra peccatores me vestitam experta sum. Habent scelera inopem nuditatem, habẽt virtutes ornatissimũ cultum, ita intacta ab oculis ad locum turpitudinis producta sum. Circundederunt domum densissima salacium iuuenum multitudo, vt ex virgine Christo consecrata, & in templum Spiritus sancti dedicata, matulam promiscuæ libidinis efficerẽt. Sed ne tum quidem sensi me à meo sponso derelictui datam. Solet ille enim hactenùs suorum admittere afflictiones, quoàd cruciatibus illæ non sceleribus constant. Hactenùs Abraham iactauit vexationibus, vt vxorem reliquerit & cesserit alienæ libidini: mox tamẽ destinata coërcuit & intersepsit, ne ad finem stupri conata procederent, intra metum constitit periculum matronalis pudicitiæ, frena libidini iniecta sũt,

ne

ne vlterius euagaretur. Ita quoque Chriſte tua Agnes,quam & nomine puritatis, & voto caſtitatis inſigniiſti,ad id diſcriminis venerat, ne dum viuus matrimonialem concubitũ tua gratia aſpernatur,omnium libidinem pateretur. Sed habui angelum cuſtodem corporis mei, luce cœleſti me circummuniiſti,quod mihi claritatem,aliis exitiũ fulminis haberet: primus qui auſus eſt hanc coruſcationem irrumpere,temeritatis pœnas morte luit:iacuit extinctus,qui alienam pudicitiam extinctum venerat . Habet cœleſte iubar pernicioſas vires incredulis hominibus.Excæcatur Paulus ad Damaſcũ proficiſcens luminis radiis,quia incredulus,idẽ poſteà credulus inoffenſis oculis per lunam & ſolem vſque ad tertium cœlum euectus , patrem luminum ſine noxa intuitus eſt. Hactenùs ſæuitum eſt contra meam virginitatem,nunc corpus flammis vndique cinxerunt. Non deprecor hanc pœnam, excoquant ad purum ſcoriã meam, vt fiam aurũ obrizum in templo Domini: laudo iudices meos æquitatis,ꝙ me non inceſtarũ Veſtaliũ pœna terris infodiũt: agnoſcunt inuictã virginitatẽ,cum à corruptę virginitatisſuppliciisabſtinẽt:ignibus agunt,in quo

ſymbolum eſt illibatæ virginitatis. Vide nunc Chriſte, num magis intus tui amore, an foris ignibus iſtius rogi exæſtuem: obſerues quæſo, an corpus, an animus maiores flammas concipiat: vide tu quoque Veſta, quid inter tuas, & Chriſti virgines interſit: tuæ nec præmiis maximis, nec honoribus ſummis, nec ſuppliciis ſæuiſſimis, intra pudicitiam, eámque non perpetuam, ſed trigenariam coërceri queunt: & cũ niſi ſex ex vniuerſo populo ſeligantur, illæ ſelectiſsimæ, & tam paucæ integritatem non tuentur. Chriſtianæ puellæ cum certa expectatione mortis virginitatem retinét, nec forma adoleſcentium eas ſollicitat, nec munera alliciunt, nec honor inuitat, nec pœnæ extorquent, vt à mortifera virginitate abſiſtere velint. En ego ſponſum meum non per aquas vt Leander, ſed per vndantis æſtuantiſq; incendii flãmas proſequor: & omnia quæ eò mihi properanti obſtant, non ideò grauia, quia cruciatum, ſed quia moram habent: nam dulcia mihi amaritudinem, honeſta infamiã, pulchra turpitudinem habere videntur, quæcũque ſe huic itineri obiiciunt: omnia enim reputo vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam. Nec in proco iſto ſeculari

lari reuerita ſum patris Præfecti vrbis ampliſ-
ſimam dignitatẽ, nec miſeris illius lachrymis,
aut anxiis precibus emollita ſum, non ad mi-
nas Iudicis, aut pœnas carnificis exhorrui.
Quomodò enim metuere poteſt cruciatũ, qui
iamdudum ſuam carnem crucifixit? aut quo-
modò mortem formidabit, qui iampridem cũ
Chriſto & mortuus & ſepultus eſt? qui iam nõ
ipſe, ſed in quo Chriſtus viuit. Iacuit Lauren-
tius in cãdefacta craticula cum ſenſu roſarum:
igneus ille flammarum color, martyri inuicto
rutilantium florum lucem exhibuit: nidor de-
ſtillantis carnis, myrrhæ fragrantiam naribus
afflauit. Sic qui pro Chriſto voluptates repudi-
ant, in ipſis cruciatibus voluptates reperiunt.
Aut enim in Chriſti martyribus tormẽta ſuam
vim amittunt & nihil agunt, aut fruſtrà agunt
aduerſus inuictos. Amat crucem ſuam Andre-
as, & cum oſculis ad eam properat, atque in eo
ligno priùs baſia figit, in quo ipſe mox figen-
dus erat. Stephano lapides torrentis dulces fu-
erunt: ibant gaudentes Apoſtoli poſt laceratio-
nem flagrorum, quia digni habiti eſſent, pro
Chriſti nomine ignominiam pati. Sic vincunt
Chriſtiani inuictum tormentum, & gaudium

 eorum

eorum in ipſis cruciatibus è vultu promicat? Quis vidit Machabæos fratres in ſartagine aſſatos ploratum emittere? quis Petrùm in cruce lachrymabundum? quis Paulũ ſub gladio expoſtulabundum? Ita tu quoq; Chriſte, vel præbe mihi eam vim pectoris, quæ tabeſcẽte & diſtillante corpore inuictum robur contineat, vel flammas iube lucem incombuſti Rubi à Moyſe viſi ſine concrematione meis membris adferre, vt cum tribus pueris in fornace Babylonica ex ignibus claritatem, ex fumo ventum roris flantem experiar. Sed mirum, diuidit ſe flamma, & quaſi refuga corporis mei, huc illuc procul à me ſua incendia euoluit. Vide nunc fili Trophonii præſidis, quẽ libido extixit, meæ preces in vitam reuocarunt, quàm ignis Veſtæ inaniſsimi idoli nihil aduerſus cultores Chriſti poſsit: ex energia iſtius ignis veri numinis potentiam cognoſcas, ego in media pyra detrimenti nihil ſentio, inferat aliquis veſtrũ dextram, vel in primam flammam exuſta manu Scæuola redibit: vobis ad ſcelus veſtra ſeuitia permittitur, perdendi poteſtas non conceditur, obediunt elementa ſuo creatori, ad eius volũtatem, non ad veſtram immanitatem vires

ſuas exercent. Non habet vipera in manu Pauli venenum, in eremo habuit aduerſus murmuratores. Vadoſum eſt mare Erythreum Iudæis, vndoſum AEgyptiis: eadem dies lucem clariſsimam Hebræis, dẽſiſsimas tenebras AEgyptiis habuit. Comburũtur Babylonii extra fornacem, irrorãtur pueri in medio fornacis. Nõ hæc fiunt arte magica, nõ dęmon habet locum vbi virtutis exercitium eſt. In ſceleribus miracula à dęmonibus profecta exiſtimatote, in pietatis & veritatis teſtimonio digitum Dei eſſe credite, qui iſta efficit. Quid peccatis in Spiritũ ſanctum? cur opera illius diabolo attribuitis? cur vos irremiſsibili facinore impiatis? cur in puella duodecim annorum calliditatem anicularem ſuſpicamini? cur in innocente flagitioſiſsimam mẽtem? quid necromanticam exiſtimatis? quæ ipſa mundo mortua eſt: quid in me culpare poteſtis, niſi obſtinatam pudicitiã? hominum nuptias cõtempſi, quia cœleſtibus ſpõſalibus me addixi. O quãdo venient nuptiæ agni Agnetis? quandò ſatisfiet arraboni annuli meis digitis inſerti? cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto: poſtq̃ ignes veſtri vires non habent, cur non efficaciora adhibetis? cur vota differ-

 tis?

tis? ſuſpiria mea producitis? Sicut ceruus deſyderat ad fontes aquarum, ita deſyderat anima mea ad ſpõſum meum: quandò veniam, & apparebo ante faciem illius? Sed (bene eſt) video Aſpaſii iuſſu aduerſus me gladiũ ſtringi, haurite ſanguinẽ, vulnerate pectus, ſed ante Christi amore ſaucium, ignes iſtius rogi meo ſanguine reſtinguite: non debet illa flãma ardere, quę tam cõtumax fuit veſtris conatibus, & tam ſegnis & tarda meis deſyderiis: anima mea iamdudum liquefacta fuit, liquefactum etiam corpus: quamprimùm optaui, vt ſpõſo meo me oſtenderem, quantopere illius amore extabuiſſem. Nunc igitur quandò id non licuit, vndecũque libet ſanguinem effundite: ſi vulnera vel in corde, vel in manibus, vel pedibus accepero, ſimilis ero ſponſo meo, qui in omnibus iſtis partibus, vulnera accepit, ſtigmata Chriſti in corpore meo circunferam. Tu igitur Chriſte ſponſam tuam per gladios, incendia, mortes, ad te vadentem, celeriter accipias, & in domum patris tui & cubiculũ genetricis introducas.

DE

DE CAMMA GALATHA EX Plutarcho, De virtutibus fœminarum.



Rant in Gallogręcia duo potentissimi Tetrarchæ, Sinatus, & Synorix, & sanguinis propinquitate inter se coniuncti, quorum Sinatus Cammá virginem in vxorem duxerat, quam formæ dignitas spectabilem, virtus omnibus admirabilem reddebat. Nõ enim de pudicitia solùm bene audiebat aut coniugali erga virum charitate, sed animi magnitudine prudẽtiâque celebris erat. Huc accedebat humanitas eximia, & bonitas erga subditos, vnde mirè inter populares grata fuit. Hæc ornamenta ideô clariora fuêre, quòd Sacerdos Dianæ erat, quam gens illa in primis colit, & in pompis & sacrificiis magnifico cultu ornatam exhibet. Hac de causa captus eius amore Synorix, cùm nec preces, nec vim viuente marito quicquàm efficere sperat, ad dirum facinus conuertitur. Per dolum enim Sinato interfecto impatiens moræ, non ita diu post cædem factam nuptias Cammæ ambit, assiduè per id tempus in Dianæ templo versantis, nec flebiliter aut ignauè calamitatem ferentis,

tis,sed ira consiliis instructa,oportunitatem vlciscendi expectantis.Ille autem in preces effusus,allegatis quoque speciosis rationibus,iactabat sese Sinato cæteris in rebus præstantiorē esse: nec cædem animi immanitate,sed necessitate amoris fecisse. Fœmina ibi haud inclemēter recusat,videbatúrq; paulatim temporis progressu emolliri: instabant enim amici tum vi, tum precibus, vt nuptiis Synorigis assentiretur, qua in re gratiam beniuolentiámque potentissimi hominis aucupabantur. Expressum est tandem à fœmina,vt matrimonium nō detrectaret. Accersitur igitur Synorix in templū Dianæ,vt ibi quasi corā numine sponsalia cōfirmarentur. Quem vbi eò venientem comiter matrona excepisset, libat è phiala, partêmque eius poculi ipsa ebibit, partem bibendam Synorigi porrexit: erat autem venenatū mulsum, quod vbi epotum vidit, adorabunda numinis, clara voce exclamat: Te testor charissima Diana, me solummodò huius diei gratia post cædem mariti superstitem esse voluisse, nec intereà temporis quicquam mihi dulce fuisse præter imaginationem vltionis, cuius cùm compos sim,ad virum descendo. Tibi autem scelestissi-

ſtiſsimo pro nuptiis & thalamo ſepulchrum tui amici parabunt. His auditis Synorix, ac vim veneni iam perſentiſcens, in currum aſcendit, vehiculi iactatione & concuſsione ad vomitum vſurus: non potuit tolerare eum motum ægrotum corpus: quamobrem ad lecticam tranſgreſſus eſt, ac ſub veſpertinum crepuſculum expirauit. Camma verò cùm vim veneni per eam noctem ſuſtinuiſſet, audita Synorigis morte, lęta ac alacris vitã finiuit.

DIALOGISMVS CAMMAE.



Abes Iouis Epithalamii geniale poculum, impleſti te non vino, ſed veneno: propera iam deinde nõ ad maritale cubiculum, vbi in deſyderatis amplexibus quieſcas, ſed ad ferale ſepulchrũ, vbi cũ rancidis cadaueribus putreſcas. Quid expalleſcis degener? idem iter ego tua ſponſa ingrediar, bibimus ex eadem phiala matrimonii cõfœderatrice, tali arrabone nuptię firmandæ erãt, vbi alter mori voluit, alter debuit, ſed nimis ſero & ꝓcraſtinato exitio. Tu enim ſtatim poſt homicidiũ perire debueras, ego optaui: dilata mea mors eſt, vt tuam procurarem. Minus bibi ex veneno quàm tu, nõ vt cunctantiùs extinguerer, ſed vt tuum exitum priùs viderẽ, perfruerérꝗ delitiis exactę vltionis. Noli dolere, quaſi tibi aliquod peculiare malũ inciderit: pari fortuna omnes coniungimur, periit maritus inſidiis, tu merito, ego volũtate: diſpari quidem conditione, ſed tamen ad idem exitium trahimur. Hoc diſcriminis ſolummodò eſt inter meam & tuam mortem, quòd ego iam

deſi-

desino misera esse, tu incipis: quicquid enim post mortem coniugis vixi, mors fuit, nō vita: nunc cùm ad illius manes descendo, principiũ nouæ vitæ me assumere existimo. Quæ enim cum marito est, ea viua dicenda est. Cùm maritum occidebas, tum Camma periit, atque eodẽ vulnere duo trucidati sunt. Pro duplici homicidio non nisi vnam mortem pateris, reliquas pœnas inferi exigent, ego tantum supplicii de te sumpsi, quantum & potui, & tu capax fuisti. Vide tua scelera nefarium caput: Primũ consanguinei vxorem, sacerdotem ad stuprũ sollicitasti: nec iura sanguinis, nec sacra matrimonii, nec reuerentia castissimi numinis vllam remoram tuæ libidini attulerũt: irrepsit tua incesta salacitas in thalamos alienos, in tẽpla Deorum, inter stemmata consanguineorum: nec tamen intra hunc finem tua scelera constiterunt: miserum coniugẽ fiducia cognationis omnia præsidia de te sperantem si quid aduersi incidisset, inermem inopinantẽmque per dolum trucidasti. Tum scilicet tibi vidua eram, tum vacua, tũ nouis nuptiis idonea? atqui scelerate, sanguine mariti matrimonium nostrum consecrasti, non dissoluisti: coniugia animorum coniũ-

ctione, non corporum constant: alioqui inter absentes matrimonia non essent. An putas Artemisiá credidisse se sine marito esse, cùm illũ & animo recepisset, & epotis cineribus intra viscera cõdidisset? verum matrimonium mortalia corpora, animorũ coniunctiones immortales habet. Quid te insane in non minùs stulta, q̃ nefaria cõsilia impulit? si cũ me viuente marito officiis coleres, blanditiis foueres, muneribus ambires, lachrymis sollicitares purus adhuc à cæde, nihil tamen impetrabas: quid spei potuisti reponere in tã acerbis & funestis iniuriis? nec casta impudicũ, nec pura nefariũ, nec sacra impium, nec læsa iniuriosum amare potest. Aut similitudine morũ, aut sedulitate officiorum beniuolentia conciliatur? Tuo amori non solùm obstant ingentia scelera, sed etiam turpissima dedecora. Téne in cõiugalem societatem admittam, vt simul & adultera & mariti prioris interfectrix existimer? Quæ occisorẽ mariti in thalamum recipit, cum eo de homicidio mariti videtur conuenisse: consilia communia videntur præcessisse, vbi nuptię pòst sequuntur: nulla enim mariticidę nubit, nisi quæ maritũ occisum voluit. Excute omnia, vnde a-

liquam commendationem tui deriuare poſsis. Si mihi allegas formę tuę dignitatem, digniori forma prædit͡um occidiſti: plus per te amiſi, q̃ in te recipere poſſum: ſi generis claritatem, ea tuis cędibus cruentata madet: ſi potentiam imperii, ea fecit vt in cognati mactatione leges nō timeres, eadem in cauſa fuit vt ad pœnam vltionem ꝗ illatę mortis, niſi mea morte peruenire nequiuerim. Vides q̃ iuſtis de cauſis nupta te vt adulterum, vidua vt ſceleratū aſpernata ſum. Putabas ſtolide dum ad preces tuas minùs duriter reſpondeo, dum toruitatem vultus abſcōdeo, me vel nunq̃ antea iratā vel progreſſu temporis placatam fuiſſe? id agebatur diſsimulatione offenſarum, vt te in fraudem & perniciem allicerem. Quicquid æui tranſactum eſt à mariti morte, id totum in meditationibus vindictæ conſumptū eſt: quicquid habui vel animi vel ingenii, in ea conſilia impenſum eſt. An putabas me ignauiorem Chiomara Ortiagontis vxore, quæ adulteri caput ad maritum retulit? aut illam maiores cauſas irarū habere, q̃ ego ha bui? Illa ſtuprum paſſa eſt, ego mariti cædem: illa ſcelus hoſtile, ego cognati facinus experta ſum: illa inter arma victorum, nos domi inter

ciues istã calamitatem accepimus: illa sine necessitate hostem occidit, ego nisi te occidissem, necesse habui tuas nuptias subire: illa dimitteba tur ad suos postmodùm libera futura ab hostili circũplexu, ego in tuos thalamos ꝑ vim intrudebar ad ꝑpetuos concubitus. Oĩa quę tu in me amasti, ea cõspirarũt ĩ tuã necẽ: formositas mea deformem sceleribus enectũ cupiuit, pudicitia adulterũ extinctũ, charitas cõiugalis mariti occisorẽ suppliciis mactatũ optauit, ingeniũ vigẽs cõsilia vltionis cõcepit, animus ingẽs executus est. Bibisti venenũ, virus nũc ipsa p̃cordia occupat, vbi tã scelerata cõsilia de Sinato occidẽdo instituta fuere. Cur exanguis trepidas? Sit eadẽ fortitudo in morte toleranda, quam in cęde facienda exhibuisti: cur non eadem animositas in necessitate, quæ in vltroneo facinore præsto fuit? Disce ex me si aliundè non potes, quàm alacri animo superos relinquam. An ideò ista luriditas in vultu, quòd furiarum pœnas vmbris tuis debitas viuus sentis, nec vt alii solent, post mortem lancinaris, sed sensibus etiamnum vigens, tartareos cruciatus experiris. Nõ puto te ita ignauum, præsertim hominem cædibus assuetum, vt hic pallor genarum mortis formidi-
ne

ne censendus sit natus. Profectò sic est, furiales illę faces mentem vrunt, capita illa serpentibus hirta in te incursant. Pręgustas nūc pœnas, quas apud inferos patieris, & nōdum in tartaro tartarum experiris. Te igitur Diana castissimum numē primum oro, vt ꝓpitia sis meo veneficio, nec templū tuum ꝓphanatum existimes duorū mortibus. Soles gaudere impudicorū exitiis. Visus lasciuior in Actæone, morte punitus est. Calysto & per vim & à Ioue impudicā factā, ferali forma condēnasti: ego insidiatorē pudicitiæ de medio sustuli, pudicitiā meā mea ipsius morte asserui: ne igiť pro scelere imputes, quod cōtra scelera perpetratū est. Tu igitur quę tripli ci numine venerāda es, et in cœlo lunaribus radiis mundum illustras, & in syluis virginitatis studium venationibus colis, & apud inferos regina vmbrarū tertiam partē rerum gubernas, animā hanc innocentem in Elysios campos ad mariti cōplexum deducas, sceleratūq; Synorigen vel procul à nostris oculis secerne, vel tali specie offer, & inter tales pœnas, vt voluptatem capiamus ex illius cruciatibus. Mentemq; eam amicis meis immittas, vt ossa mea in sepulchro mariti, non adulteri componant.

FINIS.





